

*ubique terrarum jurisdictionem exercere per ministros etiam stabiles.*

Contrarium opinabantur Marcus Antonius de Dominis, Richerius, Febronius et alii, juxta quos Papa potest equidem in variis dioecesibus mittere ministros, per quos exerceat jurisdictionem, sed solummodo ad tempus, ob extraordinarium aliquem casum id remedium exposcentem; juxta eosdem igitur, non habet Papa jus mittendi legatos aut nuntios stabiles cum jurisdictione, et contrarius usus est usurpatio quae laedit ordinarium episcoporum regimen, et est de medio tollenda. Sed thesim supra positam tenent omnes Catholici, quam probant:

1<sup>o</sup> Ex brevi Pii VI, *super Nuntiaturis*, anni 1789, in quo praefatum errorem omni studio profigat et damnat.

2<sup>o</sup> Ex natura Primatus, quo Papae competit super universam Ecclesiam jurisdictio immediata, ordinaria, plena, summa, numeris omnibus absoluta.

3<sup>o</sup> Ex praxi Ecclesiae. Longe enim ante falsas decretales, quibus adversarii praelaudati usum originem tribuere non erubescunt, Sedes Romana in variis mundi partibus consuevit habere ministros stabiles cum jurisdictione, quamvis non sub iisdem nominibus. Hodie autem eos Papa frequentius mittit et servat, et ubique reverenter accipiuntur.

## DISSERTATIO NONA

DE ROMANI PONTIFICIS AUCTORITATE IN ORDINE AD CONCILIA GENERALIA

(Vide canonistas: *de Conciliis*. — Mazella: *de Rel. et Eccl.*, n. 1016... 1038; 957, 958; 978... 985; 993... 1000. — Bouix: *de Papa*, t. II, p. 345... 435, et t. II, p. 498... 690.)

450. Ultimo loco consideranda est auctoritas R. Pontificis in ordine ad concilia generalia. Et ideo, nonnullis praehabitis de natura et membris conciliorum generalium, statuendum erit quaenam sint, in hujusmodi conciliis, sive jura Pontificis Romani, sive auctoritas episcoporum, de quibus omnes concordant; dein, inquirendum veniet de praecellentia olim controversa Papae super concilium generale; demum, aliquid de conciliorum necessitate ac utilitate dicemus. Septem igitur erunt quaestiones:

### QUESTIO I<sup>a</sup>

Quid et quotuplex sit concilium, et quinam sint membra concilii generalis?

451. Resp. ad 1<sup>um</sup>: Concilium definitur: *Coetus legitima auctoritate congregatus, ad tractanda negotia ecclesiastica, de quibus episcopi pronuntiant.*

Hinc concilium non est 1<sup>o</sup> coetus in quo non adsint episcopi; nec 2<sup>o</sup> coetus episcoporum, sed quorum finis praecipuus foret de rebus profanis tractandi;

nec 3° coetus episcoporum de rebus ecclesiasticis tractantium, sed qui suffragium et opinionem simpliciter exprimunt, nihil autem statuunt aut judicant; nec 4° coetus episcoporum statuentium circa res ecclesiasticas, sed qui auctoritate legitima non congregaretur.

**452. Resp. ad 2<sup>um</sup> :** Concilium est aut provinciale, aut plenarium, aut oecumenicum, prout ad illud legitime convocati fuerint omnes episcopi, aut provinciae ecclesiasticae, aut alicujus majoris circumscriptionis (sive primatialis, sive patriarchalis), aut totius Ecclesiae; et ita convenerint, ut vere dici possit repraesentari, aut provincia, aut circumscriptio primatialis sive patriarchalis, aut universa Ecclesia.

Ad concilium ergo oecumenicum requiritur, praeter legitimam omnium episcoporum mundi convocationem, tot convenire episcopos ex diversis Ecclesiae partibus, ut merito dici possit, per illos patefieri fidem ac necessitates totius Ecclesiae. Numerus quidem ille arithmetice definiri nequit; sed, in praxi, omnis tollitur difficultas per Papae approbationem.

Concilium oecumenicum vocatur etiam *generale*; tum quia omnes episcopi ad illud convocantur, tum quia Ecclesiam universam repraesentat, tum quia de omnibus causis ad Ecclesiam spectantibus tractare potest, tum quia edit decreta et leges pro universis fidelibus.

**453. Resp. ad 3<sup>um</sup>.** Praenotandum est, praeter eos qui jure divino sunt membra concilii generalis, alios esse posse ejusdem concilii membra cum suffragio decisivo, sed ex jure ecclesiastico tantum. Papa enim certe potest, cuilibet placuerit, communicare hanc

jurisdictionem *conciliarem*, seu, in concilio exercendam, illis etiam qui carent caractere episcopali. Unde jus habet quemlibet efficiendi membrum concilii cum suffragio decisivo; sed probabiliter violaret jus divinum, si hujusmodi membra constituerent majorem membrorum sedentium partem; quia, ex Christi institutione, concilia potissimum coalescunt ex veris episcopis.

Quibus praenotatis: 1° sunt de jure divino membra concilii generalis, omnes saltem illi qui, tanquam ordinarii pastores, constituti sunt super aliquam dioecesim; sunt enim proprie episcopi: id autem valet etiamsi nondum ordinati fuerint, quia jurisdictio episcopalis ordinaria, non ab ordinatione sed ab institutione canonica pendet.

2° De episcopis simpliciter titularibus, controversatur an sint jure divino membra conciliorum. Affirmat Bolgenius juxta quem, ut vidimus n. 484, omnis episcopus cum consecratione accipit a Christo jurisdictionem universalem, cum aliis episcopis et Papa exercendam; quae opinio jam fuit confutata n. 435. Idem affirmat Lucius Ferraris, eo quod episcopi titulares habeant in respectivas suorum titularum dioeceses jurisdictionem *in actu primo*. Sed illa ratio non admodum urget. Praedictae enim dioeceses subjiciuntur *actu* Vicariis apostolicis, qui certe retinerent suam in eas jurisdictionem, etiamsi liberarentur ab infidelium tyrannide. Ergo episcopi titulares non habent veram jurisdictionem *in actu primo*. Praeterea, dato quod haberent, sequeretur eos esse membra conciliorum *in actu primo* tantum. Unde multi tenent eos non esse jure divino membra concilii

generalis, quia carent actuali jurisdictione. Quidquid sit, admissi fuerunt in conc. Vatic. cum suffragio decisivo, sed integra remansit quaestio, an jure divino vel ecclesiastico id fieret.

3° Episcopi titulares qui simul sunt Vicarii apostolici, et nomine Papae, in quibusdam locis, realiter jurisdictionem episcopalem exercent, ex communiore sententia, sunt, de divino jure, membra concilii generalis. Quamvis enim non sint Ordinarii proprie dicti, delegato tamen jure ordinariam exercent potestatem, quae, scilicet, dioecesanis episcopis ordinarie inest. Partem ergo Ecclesiae episcopaliter administrantes, hanc in generali concilio possunt et debent repraesentare.

4° Cardinales sunt, de jure ordinario, membra concilii. Sed si non sint episcopi, controversatur utrum id habeant ex jure divino vel ex jure pontificio. Pendet solutio ex alia quaestione quam praetermisimus, an cardinalium dignitas sit jure divino aut humano introducta.

5° Ex privilegio et consuetudine, vocantur ad generale concilium Generales Praepositi regularium, et Abbates qui jurisdictione quasi episcopali potiuntur in populum aliquem et in aliquod territorium. Quoad Abbates exemptos, sed jurisdictionem habentes solum in suos monachos, et qui non sunt Generales, olim controversia fuerat utrum in conciliis generalibus admittendi essent; sed a concilio Vatic. exclusi sunt, ob rationes quas indicat Ceconi (Storia del conc. Vatic. vol. 1, I. 2, c. I, art. 1).

QUAESTIO II<sup>a</sup>

Quae sint R. Pontificis jura quoad concilium generale?

454. Resp. Dico 1° : *In nullo casu, sine R. Pontificis auctoritate, convocari potest verum ac perfectum concilium oecumenicum.*

Prob. 1° *conciliorum auctoritate.*

1° In concilio Chalcedonensi, cum a legatis Sedis Apostolicae postulatum fuisset, cur Alexandrinum patriarcham Dioscorum a concilio expulsum vellent, responderunt: « Quia synodum ausus est facere sine auctoritate Sedis Apostolicae, quod nunquam factum est, nec fieri licet. » Et hoc assertum nullus impugnavit.

2° Conc. oecumenicum Later. V, sub Leone X (sess. X), pronuntiavit : « Solum Romanum Pontificem, tanquam super omnia concilia auctoritatem habentem, conciliorum indicendorum, transferendorum ac dissolvendorum plenum jus et potestatem habere. »

Prob. 2° *natura primatus.*

1° Papae auctoritas est plena et monarchica. Porro nec plena, nec monarchica foret, si eo invito aut non assentiente, alter posset convocare concilium.

2° Solius est Papae judicare de ratione legitima convocandi concilium generale, cum haec convocatio sit una e praecipuis majoribus causis; et insuper, solus, tanquam Primas, habet auctoritatem hanc supremam et universalem, qua cogi possint episcopi ut in unum conveniant locum, et ibidem permaneant donec coetus legitime dimittatur.

Quando igitur quaedam concilia Orientalia dicuntur

ab Imperatoribus indicta, observandum est ea non habuisse rationem oecumenicitatis, nisi quia Papa huic convocationi praebuerit assensum.

Dixi : *verum ac perfectum concilium*, quia posito quod, vacante Sede aut in casu Papae dubii, extraordinarie congregaretur concilium, non esset verum ac perfectum ; quia decreta doctrinalia aut disciplinaria ab eo statuta vim certam ac definitivam tunc solum obtinerent, quando accederet consensus Papae certo legitimi.

**455. Dico 2° :** *In generali concilio, solus Papa jus habet praesidendi per se aut per suos legatos.*

Conclusio est evidens ; quia in omni coetu illius est praesidere, qui caeteris auctoritate praestat. Potest autem Papa praesidere per legatos ; nihil siquidem vetat jurisdictionem ordinariam per alium exerceri, et nonnunquam Papa personaliter adesse impeditur.

**456. Dico 3° :** *Ante Papae confirmationem, decreta concilii generalis vim obligandi non habent.*

Confirmatio illa est actus, quo R. Pontifex approbat ea quae in concilio decreta sunt, eisque tribuit vim legis in universam Ecclesiam. Ista legalis approbatio alias conditiones supplet, ipsa autem nunquam suppletur. Hujus autem necessitas constat et auctoritate et ratione.

1° Constat *auctoritate* ; videlicet : a) Decreto Eugenii IV, super unione Jacobitarum dicentis : « Suscipit « sancta Romana Ecclesia omnes universales synodos, « auctoritate R. Pontificis legitime congregatas ac « celebratas et confirmatas. » b) Exemplo conciliorum : concilia enim generalia hactenus celebrata confirmationem a summis Pontificibus petierunt.

c) Praxi Ecclesiae. Ecclesia enim, ea tantum concilia ut legitima accepit, quae firmata fuere auctoritate R. Pontificis. Sic, v. g. concilium 2<sup>um</sup> generale habitum Constantinopoli anno 381, cum careret nonnullis conditionibus ad oecumenicitatem requisitis, utpote a Theodosio Imperatore convocatum, nec constans nisi episcopis Orientalibus, nec celebratum a Papa per se aut per legatos praesidente, non habuit vim oecumenicitatis, nisi a confirmatione subsecuta per S. Damasum Papam, et pro sola professione fidei contra Macedonium, quam solam Patres R. Pontifici miserant.

2° Constat *ratione*. Corpus enim episcopale non fruitur auctoritate suprema, quam Christus collegio Apostolico concessit, nisi Capiti suo junctum ; quia a Capite sejunctum, jam non repraesentat totum Ecclesiae corpus, siquidem non repraesentat Caput, a quo corpus non potest separari. Insuper, si valeret decretum concilii generalis etiam a Papa non confirmatum, regimen Ecclesiae non esset unum, quia extra Papam, in ea reperiretur alia suprema auctoritas ; imo Papa ipse non gauderet plena ac summa jurisdictione super universos fideles ; siquidem absque eo a concilio ligarentur. Ergo ut decreta concilii generalis vim obligandi habeant, prorsus necessaria est R. pontificis confirmatio.

Quomodo autem detur hujusmodi confirmatio ? Sane, ubi Papa per seipsum praesidet et assensum suum in concilii aula manifestat, nihil amplius requiritur. Si autem Legatis, ejus nomine praesidentibus, dederit instructionem, quae et quaestiones agitandas et decreta ferenda indicat, tunc quoties Patres decreta Papalia pure et simpliciter sua faciunt, vel ferunt

ab Impe decretis Papalibus evidenter conformia, nulla habuiss difficultas. At, ubi Legati acceperunt mandatum conuersiones quidem tractandas indicans, solutionem vero Patribus remittens, solutio a concilio data indiget Papae confirmatione; quia Papa supremam suam atque infallibilem auctoritatem non delegat. A fortiori, specialis necessaria est approbatio Papae, quando Legati instructionem non acceperunt, vel Papae mandata praetergressi sunt, vel non omnino evidenter liquet decreta concilii mentem Papae jam intimatam fideliter referre.

Subsequens autem Papae confirmatio tacita sufficit. Nam casu quo decreta concilii aliena forent a mente R. pontificis, ille reclamare teneretur, eo quod, eo tacente, fideles legitime praesumerent eum consentire, et sic errorem imbiberent. Ergo, illo non reclamante quando facile potest, concilium censetur ab eo confirmatum.

### QUAESTIO III<sup>a</sup>

Quanta sit episcoporum in concilio generali congregatorum auctoritas?

457. Resp. Dico 1<sup>o</sup> : *Concilium generale pronuntians cum Papa, habet auctoritatem supremam, atque, in iis quae spectant fidem, mores, aut generalem disciplinam, prorsus infallibilem.*

Sine dubio, posito quod universi Episcopi in concilio convenirent, talis congregatio, cum esset ipsissima Ecclesia docens et regens, gauderet ipsamet Ecclesiae infallibilitate. At nunc agimus de concilio quod non est ipsissima Ecclesia docens et regens, sed ejusdem legitima repraesentatio. Jam vero, sicut seorsim revelatae

sunt, et auctoritas suprema Papalis, et auctoritas suprema universae Ecclesiae docentis ac regentis, ita seorsim revelata est suprema et infallibilis auctoritas conventus, qui non est proprie Papa, nec Ecclesia universalis docens et regens, sed Ecclesiae regentis et docentis repraesentatio. Quae revelatio exinde constat quod, juxta omnes, suprema et infallibilis auctoritas concilii oecumenici sit de fide et semper fuerit, etiam antequam definita fuisset infallibilitas Papalis.

Probatum autem potissimum testimoniis Traditionis, quae ad quatuor capita revocantur a Bellarmino.

1<sup>um</sup> *caput* est eorum quae affirmant, concilii generalis sententiam esse, in causa fidei, ultimum Ecclesiae iudicium, a quo non licet appellare, quodque nullo modo irritari queat. Sic S. Athanasius (Ep. ad Africanos) : « Verbum Dei per oecumenicam synodum Nicaenam manet in aeternum, »

2<sup>um</sup> *caput* est eorum quae docent, esse haereticos et excommunicandos eos omnes qui non acquiescunt conciliis. Sic, conc. Eph. can. VI, anathematizat laicos qui « per concilium gesta quocumque modo « velint movere ». Item conc. Chalced. art. V. Item Martinus V, in Constit. *Inter cunctos*, decernit haereticos vel de haeresi suspectos, et ad unitatem redeuntes, esse interrogandos : « Utrum illud quod... « concilium universalem Ecclesiam repraesentans, « approbavit et approbat in favorem fidei et ad « salutem animarum, sit ab universis Christi fidelibus « approbandum et credendum ? »

3<sup>um</sup> *caput* est dicentium esse divina et a Spiritu sancto edita legitimorum conciliorum generalium decreta. Sic S. Greg. Papa (Ep. 25) profitetur se « sicut

Sancti Evangelii quatuor libros, sic quatuor concilia priora suscipere ac venerari. »

4<sup>um</sup> caput est affirmantium potius moriendum esse quam recedere a decretis conciliorum generalium. Sic S. Amb. (Ep. 21) : « Sequor tractatum concilii « Nicaeni, a quo me, nec mors, nec gladius separare « potest. »

Dixi : *pronuntians cum Papa*. Evidenter supponitur libertas suffragiorum, sed necessarium non est ut decisiones ferantur suffragiorum pluralitate Papae adhaerentium. Etiam si enim minor pars cum Papa pronuntiaret, sententia foret tamen conciliaris et infallibilis; major autem pars sine Papa nihil potest definire ac statuere. Sed, ut supra diximus n. 440, nunquam eveniet ut non sint cum Papa Episcopi in sufficiente numero, ad Ecclesiam in sua Catholicitate servandam. Et insuper probabile est, semper majorem Episcoporum hic et nunc existentium partem, Papae docenti adhaesuram esse; vide n. 441. In praxi, quoties agitur de causis fidei, nihil decernitur nisi adsit moralis episcoporum unanimitas.

458. Dico 2<sup>o</sup> : *Episcopi, in concilio oecumenico, non sunt meri Papae consilarii, sed veri iudices ac leges*.

Etenim 1<sup>o</sup> Decreta conciliorum non dicuntur definitiones aut leges mere Papales, sed conciliorum auctoritate statuta, et ab eis procedentia tanquam a legislatoribus (Decr. ad Arm., c. 8; Prof. Fidei Pii IV; Profes. Fidei Graecis Greg. XIII; Profes. Fidei Orientalibus Urbani VIII et Ben. XIV; C. Vatic. Const. *Dei Filius*; Const. *Pastor aeternus*, cap. 3, 4).

2<sup>o</sup> Praeter potestatem legislativam Petro collatam

his verbis : *Quodcumque ligaveris...*, Christus etiam collegio Apostolico distinctim contulit eandem potestatem, dicens : *Quaecumque alligaveritis...* Porro concilium generale exercet jurisdictionem corpori episcopali, quatenus succedit collegio Apostolico, competentem.

3<sup>o</sup> Episcopi subscribentes decretis conciliorum hac formula aut simili utuntur : *Ego judicans, Ego definiens subscripsi*.

4<sup>o</sup> Si episcopi in concilio non essent nisi consilarii Papae, concilii celebratio non esset nisi inquisitio quaedam, et tantum valeret assensus episcoporum, quantum valerent eorum rationes, sicut de doctorum decisionibus dicitur. At, hoc posito, potius ex doctis theologis concilium deberet constare quam episcopis, ut talibus.

Objicitur concilium non posse absque Papa quidquam auctoritative et infallibiliter definire, Papam autem id posse sine concilio; ac proinde, Papa decernente aliquid etiam cum concilio, omnem vim obligatoriam decreti oriri a Papa solo; ideoque episcopos, etiam in concilio, non esse veros iudices neque leges.

Ad quod respondetur : Quamvis Papa solus sufficiat ad ferenda decreta fidei et morum obligatoria, potest nihilominus velle ut nihil definiatur aut statuatur, nisi in concilio et per concilium. Tunc autem, episcopis judicantibus aut statuentibus simul cum Papa, sententia Patrum promulgatur, non tanquam sententia Papae solius, sed tanquam lex conciliaris, cujus vis obligatoria tota oritur ab auctoritate collectiva episcoporum Papae junctorum. Et revera, definitio concilii Vaticani de R. Pontificis infallibilitate, adversus hujus

dogmatis impugnatores robur suum non habuit ex solo Papa definiente, secus adfuisset petitio principii; sed ex auctoritate episcoporum Papae conjunctorum, seu, valuit tanquam concilii ipsius definitio.

QUAESTIO IV<sup>a</sup>

Quomodo confutetur sententia asserens concilii generalis auctoritatem auctoritati R. Pontificis praevalere?

459. Resp. Haec sententia, quae tempore magni schismatis introducta est, et quam Gallicani suam fecerunt, hac nititur distinctione, nempe: Papa gerit primatum super singulos pastores seorsim sumptos, sed non super omnes collective sumptos. Suprema igitur potestas principaliter et immobiliter residet in corpore pastorum. Quia autem pastores non possunt semper congregati manere, nec dispersi regere Ecclesiam, Christus dedit Papae, ut sit tanquam instrumentum generale ad omnes actiones Ecclesiae.

Ex quo principio, alii concludebant concilium, etiam pronuntians sine Papa, esse supra Papam, ita ut possit Papam invitum deponere, ejus decreta rescindere, et edere sententias illum obligantes; alii hanc auctoritatis praeeminentiam non attribuebant, nisi concilio pronuntianti cum Papa. Hinc, contendebant definitiones a solo Papa factas, examinari et reformari posse a concilio Papae conjuncto; item, leges disciplinares conciliorum obligare Papam tanquam leges sui superioris, a quibus, sine causa legitima, nec licite nec valide dispensaret.

460. Contra quos, dico 1<sup>o</sup>: *Concilium absque*

*Papa celebratum non habet, regulariter saltem, auctoritatem supra Papam.*

Prob. 1<sup>o</sup> *auctoritate conciliorum generalium.*

a) Concilium oecumenicum VI, seu Constantinopolitanum III. Act. X, can. 21, decernit quod, orta controversia inter synodum oecumenicam et Papam, Papa reverenter interrogetur, ejusque responsum admittatur, non tamen liceat « audacter contra summos senioris Romae Pontifices sententiam dicere. »

b) Conc. Flor. definit Papam habere primatum *super universam Ecclesiam*. Porro vox *universam* sonat, non singulas tantum ecclesias, sed omnes collective sumptas.

c) Conc. Later. V, Sess. X, declarat: « Solum « R. Pontificem, tanquam auctoritatem super omnia « concilia habentem, conciliorum indicendorum, « transferendorum et dissolvendorum plenum jus et « potestatem habere. »

d) Conc. Vatic., ex mox dicendis, extollit Papam etiam supra concilium cum eo celebratum. Ergo a fortiori docet eum esse supra concilium ab eo sejunctum.

Prob. 2<sup>o</sup> *natura primatus.*

Papa est fundamentum Ecclesiae, Pastor gregis dominici, Caput corporis mystici Christi visibile. Atqui fundamentum sustentat aedificii lapides, etiam collective sumptos; pastor regit oves et agnos, etiam congregatos; caput praeest corpori, etiam prout constat membris inter se coadunatis.

Prob. 3<sup>o</sup> *novitate sententiae contrariae.*

Ante saeculum XIV, inaudita fuit illa distinctio inter auctoritatem super episcopos *distributive* sumptos,